



# Disputatio juridica inauguralis de jure dotium

<https://hdl.handle.net/1874/342423>

3

DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
JURE DOTIUM,

QUAM,  
PRÆSIDE DEO TER OPT. MAX.

*Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*

JOANNIS GEORGII GRAEVII

Politices, Eloquentiae & Historiarum Professo-  
ris Ordinarii.

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academici consensu, Nobilissimaeque  
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in UTROQUE JURE honoribus & Privilegiis  
ritè & legitime consequendis,

*Eruditorum examini subicit*

JOAN VANDER VOORT, ULTRAJECT.

*A. D. 5 Maji, horis locoque solitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiae

Typographi, clō Ic xc.

*Nobilissimo & Consultissimo*

*V I R O,*

**D. D. CORNELIO**

**V A N**

**DOMBURGH,**

J. C<sup>to</sup>. Consulari dignitate  
conspicuo, nunc collegio à  
rationibus diæceseos Traje-  
ctinæ adscripto, necessario  
suo ætatem colendo.

*Hæc Theses ut & se ipsum*

D. D. D.

**JOAN VANDER VOORT.**

**AUCT. & RESP.**

# PROOEMIUM.



*Ternâ laude dignos esse, qui vel ipsi, quæ ad utilitatem invitâ communi spectant, invenere, vel feliciter inventis ornatum, augmentum, perfectionemque adjecere, apud omnes in confesso est: quod sicut in reliquis Scientiis, ita maximè in amplissimo juris studio verius liquet; cognitio enim Juridica omni tempore non fuit eadem, sed de die in diem accrevit, quot enim magni nominis viri non quasi Divinitus excitati sunt, qui artem Juridicam rudem adhuc & impolitam corrigerent, elaborarent, & inutilis, falsasque sectarum opiniones, tanquam lascivientes ramos, ablaqueantes, cultiorem, perfectioremque redderent, & qui suos labores & susceptas opiniones rationi & rationis trutinæ, experientiæ, veritatis amore subjicientes nulla, nisi quæ sibi cognita & perspecta in communem utilitatem proximi & Jehovæ gloriam proferrent, quali genio & ingenio quidam ex hodiernis nostris Jurisperitis adhuc fruuntur; quocirca hoc nostro erudito seculo ingens facta est*

*Jurisprudentiæ perfectio & accretio, nulla nam-  
que invenitur materia in toto juris corpore, ad  
quam non sat superque sit commentatum ac glos-  
satum, & de qua ad nauseam usque non sit dispu-  
tatum, adeo ut commune illud Terentii dictum  
verissimum sit, nullum est jam dictum, quod  
non est dictum prius: quapropter, diu me ani-  
mo hæsisse, diuque mihi aquam pependisse, qua  
de materiâ mihi in præsentiarum disputandum fo-  
ret, coram profiteri non erubesco; tot enim di-  
sputandi argumenta in universo juris studio sese  
ingerunt: ut quid; cui præferendum non facile  
sit judicatu: verum cum nulla mihi alia mens sit  
quàm amicorum desiderio satisfacere, & ne mi-  
nimam quidem laudem aut gloriam ex hac disserta-  
tione captare, & usu ac diuturnis moribus re-  
ceptum ac obtentum sit, ut ii, qui in florentissi-  
mis legitimæ scientiæ exspatiantur pomeriis, studii  
sui edant specimina, non abs re fore arbitror si  
& ego, qui me modo memoratorum albo adscri-  
ptum volo, morem geram præscripto; nec ad hoc  
faciendum ulla alia materia mihi magis arrisit,  
quam illa de jure dotium, materia sane non in-  
jucunda nec inutilis, sed per se satis commenda-  
bilis, quam pro viribus paulo latius explanabi-  
mus.*

DISPU.



DISPUTATIO JURIDICA  
INVAGURALIS,  
DE  
JURE DOTIUM.

CAPUT I.

§. 1.



*Dotis* vocabulum quod Latini à Grecis mutati sunt nimirum à verb. *didōmi* vel *didōs* dono do unde poëticè fit *dōs* pro *dōsis* idem quod *dōna* donum, populariter & Latinè loquentibus idem quod bona, ut cum dicimus, animi corporisque dotes: id est, animi corporisque bona, sic Varro 4. *de rustica vineam cum sua dote*, id est, quæ vineæ accedunt, sic casei dos apud *Plin. 11. cap. 41. ibi barbaras gentes, qua lacte vivunt, ignorare aut spernere tot secula casei dotem*: sic dotes prædiorum *l. 2. §. ult. l. 20. §. 1. & 3. de instrum. leg. l. 52. §. 2. de fidejuss. & mand.* dicuntur eæ accessiones prædiorum, quæ aliunde in hæc transferuntur, & vel in horreis ad futurum usum reponuntur, quandoque significat *titulum* seu *causam* transferendi *t. t. ff. pro dot.* aliquando *jus* habendi illam rem *t. t. ff. & C. de jur. dot.* interdum *subjectum* quod datur; ut in *l. 40. & seqq. solut. matrim.* at *Juris-*

## \* DISPUTATIO JURIDICA

consultis propriè loquentibus hoc in tractatu *dos* significat id, quod pro oneribus matrimonii ferendis constituitur; & à diversis diversimode definitur; quidam enim describunt quod sit *jus universale in pecuniâ*, quod marito traditur ab uxore vel ejus patre, aut aliis ejus nomine ad sustinenda matrimonii onera. Inter quos *Zoes. ad Pand. b. t. Wesemb. b. t.* non satis accurate: *dos* enim nullibi dicitur *jus universale* sed universitas ut in *l. 1. §. 4. ff. de dot. præleg.* verum, ut hæc omittam; melius & accuratius *dos* dicitur *res esse, quæ à muliere vel alio ejus nomine marito datur ad matrimonii onera sustinenda.*

§. 2. Res hic generis loco ponitur, quia latissima est ejus vocabuli apud Jurisconsultos significatio, *l. 5. §. 23. de verb. sign.* commodius etiam in hac definitione est vocabulum rei quam *pecunia*, quia eæ tantum res, quæ in patrimonio sunt, pecuniæ vocabulo continentur *d. l. 5.* cum in dotem quoque dari possunt res alienæ: vocatur etiam *patrimonium mulieris l. 4. C. in quib. caus. pign.* nec præter dotem plerumque olim quicquam aliud habebant mulieres in bonis: neque enim viri mulieres nimium volebant ditescere, ne insoltescerent, testis hujus rei est *Lex Voconia* de coercendis mulierum hæreditatibus; cujus auctor *Q. Voconius Saxa* Tribunus plebis, lata *Q. Martio Philippo II. Cnæo Servilio Cæpione* consl. eum in finem, ne qui census esset, virginem, neve mulierem supra quadrantem bonorum suorum heredem institueret, plusve cuiquam legaret, quam ad heredem heredesve perveniret, ne feminæ ultra consanguineos ab intestato succederent ut notat *Rosin. lib. 8. Antiq. Rom.* unde etiam plerumque patres eas exheredabant solâ dote eis relicta pro modo facultatum & dignitate familiæ tum suæ tum mariti *l. 10. §. ult. ff. de aliment. leg. l. 65. §. 1. ff. de rei vindic. l. 61. de hered. inst.*

§. 3. Dixi esse *rem quæ à muliere datur*, quod à viro mulieri datur non est *dos* sed donatio propter nuptias *t. t. C. de donat. ante nupt.* de qua suo loco videbimus.

§. 4. *Ad sustinenda matrimonii onera*: etsi enim nuptiæ sine dotibus

dotibus esse possint *l. fin. C. de donat. ante nupt.* tamen constat dotis causam matrimonii ita esse conjunctam, ut nulla dos sine matrimonio intelligatur *l. 3. h. t.* ibi enim dos esse debet, ubi onera matrimonii sunt *l. 56. §. 1. ff. h. t.* unde etiam liquet dotem non esse titulum lucrativum sed onerosum.

C A P U T I I.

§. 1. **D**os varie dividitur: alia est *profectitia*; alia *adventitia*, alia *receptitia*: *profectitia dos est quæ à patre vel parente profecta est de bonis vel facto ejus l. 5. §. 2. ff. h. t.* sive parens ipse dederit vel procurator aut negotiorum gestor *d. l. 5. §. 1.* curator item & magistratus *d. l. 5. §. 3. & 4.* modo ex bonis patris data sit: sive fidejussore sive reo pro se dato promiserit *d. l. 5. §. 7.* aut cum filiusfamilias dotem promississet, postea sui juris factus eam dederit *d. l. 5. §. 10.* non enim pro hereditate patris æs alienum solvit, sed suum æs alienum susceptum, dum filiusf. esset, paterf. factus exoneravit; hæres extiterit ante nuptias extraneo, qui pro filia dotem dedit vel promisit *d. l. 5. §. ult.* quemadmodum & dos *profectitia* intelligitur, si pater ab alio donatum in dotem dederit pro filiâ *l. 5. §. 2. h. t.* & cum filiusf. pecuniam mutuatus pro filiâ in dotem dat quam avus fuisset donaturus *d. l. 5. §. 8.* quid si simpliciter decem dederit vel simpliciter promiserit, tum ex suis bonis, adeoque *profectitium* esse præsumitur, quamvis filia propria bona habeat *l. ult. C. de dot. promiss.*

§. 2. *Profectitia* vero non est, si pater, alio dotem promittente, non ut pater fide-jubeat, quamvis à reo, id, quod solvit, servare nequeat, *d. l. 5. §. 6.* & si pater dotis constituendæ causâ hereditatem vel legatum repudiaverit, quia nihil erogavit de suo; sed non acquisivit, *d. l. 5. §. 5.* ut & si heres existat, post nuptias demum ei, qui pro filiâ dotem promisit *d. l. 5. §. ult. in fin.* aut certam quantitatem done



doneo acceperit, quam pro filia constituat dotalem *d. l. 5. §. 9.* obstrictus est enim ut det aut si non dederit, conditione tenetur. Quod autem in definitione dotis profectitiæ dicitur a *patre vel parente* hanc habet significationem, quod non profectitia dos sit tantum, quando dat pater, sed quando dat avus vel proavus, & cæteri per masculinam scalam adscendentes masculi parentes.

§. 3. *Adventitia dos est, quæ non exinde, sed aliunde proficiscitur*: qualis etiam putatur, quæ à muliere constituitur *d. l. 5. §. 11.* & argumento ex definitione dotis profectitiæ ducto, cum non sit dos ulla, quæ non sit vel *profectitia* vel *adventitia*: cumque respectu patris non mulieris dos profectitia & adventitia dicatur.

§. 4. Differentia autem inter dotem *profectitiæ* & *adventitiæ* in eo consistit; quod illa mortuâ uxore regulariter ad patrem revertebatur viventem; hæc autem manebat apud maritum *l. 6. pr. ff. h. t. l. 4. C. solut. matr.*

§. 5. Est & dos *receptitia*, cum quis dotem sibi reddi stipulatus aut pactus fuerit *l. 9. C. de pact. convent.*: & ut *Ros. lib. 5. antiq. cap. 37.* inquit *receptitia* est quam is, qui dat, in mortem mulieris stipulatur.

§. 6. Dividitur etiam dos in *veram* & *putativam* quæ cum revera dos non sit, esse tamen putatur, quod accidit quando matrimonium non subsistit, ut patet *ex §. 12. inst. de nupt.* hæc tamen eadem privilegia habet quam dos verâ *l. 22. §. fin. ff. solut. matr.*

§. 7. Deinde dos alia dicitur *cauta* seu *confessata*, quæ sc. nondum est soluta, ipse tamen maritus eam se accepisse in scripturâ fatetur: *l. 3. §. t. t. C. de dot. caut.* quo casu marito ejusque heredibus datur exceptio non solutæ dotis, non enim scriptura dotalis instrumenti, sed numeratio dotem facit *l. 3. C. de dot. caut. non num.* quæ exceptio proponi debet intra annum continuum à die mortis vel soluti matrimonii, si matrimonium non duraverit ultra biennium: intra tres menses, si ultra biennium usque ad decennium

decennium steterit, si vero ultra decennium, omnis exceptio cessabit *Nov. 100. cap. 1.* alia dos est numerata seu data, quam maritus revera accepit.

C A P U T I I I .

§. 1. Videamus jam quinam dotare possint, & quinam teneantur. Dotem dare potest ipsa mulier, quæ de propriis dotem dat, *l. 1. C. de dos. caut. l. 4. §. 28. C. h. vi. l. 7. §. ult. ff. h. t. mater l. 8. §. 14. C. h. t. avus maternus l. 45. ff. sol. matr. cognati l. ult. C. h. t. etiam extranei quilibet, d. l. ult. l. 22. pr. ff. solat. matr. l. 33. pr. h. t. etiam mulier pro aliâ muliere l. ult. C. de S. C. Vellej. quo casu cessat S. C. Vellejani exceptio d. l. ult. l. 12. d. 1.*

§. 2. Etiam alieno nomine dotem constituunt tutores & curatores: hi enim pupillis & adultis nubentibus pro modo facultatum & dignitate puellarum & maritorum dotes debent constituere, *l. 60. §. 61. pr. §. ult. §. l. 69. §. 5. ff. h. t.* caveant autem ne majores constituant, quam bona ferunt: supplere enim alias deberent, quatenus scienter dotes majores ipsâ substantia assignarunt, neque enim dolus curatoris nocere debet marito *l. 43. §. 1. ff. de admist. tut. generaliter denique promittendo obligantur omnes cujuscunque sunt sexus, & conditionis l. 41. pr. ff. h. t. ita ut pater etiam obligetur, qui, falso existimans se filia suæ emancipatæ debitorem esse, dotem promisit l. 46. §. ult. ff. h. t.*

§. 3. Sunt verò nonnullæ personæ, quæ & citra promissionem dotare coguntur, inter quos primus pater filiam in potestate constitutam *l. 19. ff. de rit. nupt. l. 7. v. neque enim C. de dot. promiss.* cum paternum sit officium dotem vel ante nuptias donationem dare pro suâ progenie, adeo ut si pater absens sit, aut nesciatur, quando reversurus, judex ex officio filia dotem constituere possit, ne periclitetur filia pudicitia sed conditionem honeste nubendi inveniat; secundum sententiam DD. Quid si tamen sponsus solâ puellâ conten-

tus nullam petat dotem, aut si pater filiae dignum maritum invenerit, etiam sine dote officio suo satisfecisse videtur, ut notat *Eckolt. ex Bach. ad h. t.*

§. 4. Hic autem quæritur an pater adoptivus teneatur quod de jure veteri certum videtur *l. 15. §. 13. h. t. & arg. l. 19. ff. de ritu nupt.* at cum hodie ex constitutione Justiniani liberi in adoptantis potestatem non transeant. *l. pen. C. de adopt.* dubitari potest, an adhuc idem obtineat; verum id negandum videtur, quia hoc opus potius patri, qui filiam in potestate habet, incumbit, per *l. 19. ff. de rit. nupt.* adeo ut si filius pecuniam acceperit, ut eam pro sorore sua in dotem daret, pater actione de in rem verso teneatur *l. 17. ff. ad S. C. Mac.* & à magistratu ad dotandum compelli possit, si ætas & pudor virginis exigat *d. l. 19.* cujus rei hæc videtur ratio, quod olim filia difficulter nubendi conditionem inventura fuisset, si non pater eam dotare cogi potuisset, propterea quod olim nihil omnino in bonis aut suum haberet.

§. 5. Hodie igitur, quia filia interdum locuples esse potest quærent D. D. an tenetur pater locupletem dotare? & quantum ad leges attinet, nihil decisum est legibus: quod rationem attinet, vulgo quidem DD. ajunt patrem cogi posse; idque probare videntur *ex l. 22. §. 4. ff. ad S. C. Trebell.* ubi dicitur id mulieris pudicitiae & patris voto congruere: verum negantium sententia mihi magis arridet, tum per rationem *l. 9. ff. de in rem verso*: tum sumtum argumentum de liberis, quibus alimenta non coguntur præstare parentes si se ipsos exhibere valeant, *l. 5. §. 7. ff. de agnosc. lib.* & quod pater non cogitur sumtus studiorum causa filio locupleti subministrare; licet enim argumentatio ab alimentis ad dotem procedat negative, ita ut qui non tenetur ad alimenta præstanda, ille nec ad dotem constituendam sit obligatus, non tamen valet affirmative, quoniam major omnino est necessitas alimentorum quam dotis: hinc liber-  
tus tenetur alimentare liberos patroni *l. 5. §. 20. ff. de alend.*  
*lib.*

*lib.* non autem dotare : filio incumbit matri præbere alimenta *l. 5. §. 4. eod.* non vero dotem : frater debet alimenta forori *l. 4. ff. ubi pupill. educari deb.* non verò dotem : *l. 12. §. pen. ff. de administ. tut.*

§. 6. Sed an filiam emancipatam pater etiam dotare debeat, quæritur? quod negatur *per l. 19. ff. de rit. nupt.* verum est quod pietati convenit pauperem filiam etiam emancipatam à patre dotari, præsertim si is locuples sit, & commode id facere possit, sed patrem obligatum esse & cogendum, id legum auctoritate definitum non est, neque enim omne id, quod quis pietatis ratione facit, facere idem præcise cogitur *l. 5. §. 17. ff. de cognosc. & alend. lib.* multa enim etsi honestè præstentur, tamen a liberalitate procedunt, non ex obligatione *l. ult. C. de dot. promiss.* nec obstat *l. 5. §. 11. ff. h. t.* etenim ibidem, ut & *in lege fin. C. de dot. promiss.* nulla necessitas infertur patri, sed potius quæritur, si de facto pro emancipata dotem constituerit, an de bonis filiæ vel patris dos constituta videatur, & concluditur, quod si simpliciter dederit, pietatis intuitu de suo dedisse præsumatur, hinc quando *in d. l. 5. §. 11.* habetur, *non attento jure potestatis*, illud tantum eo referendum, quod etiam sufficiat factum patris, ut dos dicatur profectitia.

§. 7. De avo etiam quæritur, an teneatur dotare neptem? casu, quo filius est dives, plerique volunt non teneri, eo quod obligatio hæc sit ex personâ filii, per eam transeat ad patrem, ut cum ille dives sit, non videtur avus gravandus: verius tamen est eum teneri, nam licet obligatio hæc sit ex personâ filii, tamen quia principaliter procedit ex patriâ potestate, indistincte avum tenet, estque pro hac parte *l. 5. §. 10. ff. de jur. dot.*

§. 8. Ad matrem quod attinet, ea filiam præcise dotare non tenetur, *l. ult. C. de dot. promiss.* secundum quid tamen & certis casibus tenetur, si scilicet vel magna vel legibus expressa subsit causâ *l. 14. C. h. t.* qualis est si pater inops, mater vero dives existat, vel mortuo patre filia maneat

inops, & legitima ei non sufficiat ad dotem, addunt D.D. si alias sit periculum impudicitiae in filia, cui malo tenetur occurrere mater.

§. 9. Cogitur etiam mater heretica dotare filias orthodoxas *l. 19. C. de heret.* quatenus bona non publicantur, nam ad filium ejusmodi obligatio non transit.

§. 10. Dos autem promitti potest tum marito, tum alii, solutionis scilicet causa adjuncta *l. 59. ff. h. t.* etiam patri mariti; sed ita promittendo tantum marito actio queritur *d. l. 59.* quemadmodum etiam si servo aut filio mariti dos fuerit promissa *l. 46. pr. ff. h. t.* potest etiam promitti ei, in cuius potestate maritus est *l. 57. ff. h. t.* solvi itidem dos promissa ut & dando constitui potest, tum ipsi marito, tum alii ejus jussu, sive is in potestate mariti sit sive non, *l. 19. §. 59. ff. h. t. l. 14. ff. de fund. dot. l. 22. §. 12. ff. solut. matr.* quod si filius uxorem duxerit, patri ejus recte solvitur dos, ut & ipsi filiof. *d. l. 22. §. 12.*

#### CAPUT IV.

§. 1. **O**bjectum dotis sunt omnes res, tam mobiles quam immobiles *l. 30. C. h. t.* etiam se moventes, item res fungibiles, quae pondere numero & mensura constant *l. 42. ff. h. t. l. unic. §. 7. C. de rei uxor. act.* praedia tam urbana quam rustica *l. 13. pr. ff. de fund. dot.* res tam corporales quam incorporales, ut ususfructus *l. 18. C. h. t. l. 7. §. 2. l. 66. §. 78. ff. eod.* quo in dotem dato secundum Celsum jus ipsum in dote est, non etiam fructus, qui percipiuntur, idque ipsum soluto matrimonio restitui debet, nisi aliud actum esse appareat *d. l. 7. §. 2.* quamvis & hoc pacto ususfructus dari possit in dotem, ut non ipse, sed saltem fructus inde percepti fiant dotales, & ita maritus usuras, quae ex fructibus collectis & in sortem redactis percipi possunt, facit suas *l. 4. ff. de pact. dot. nomina l. 2. C. de oblig. §. act.* item res propriae & alienae *l. 6. §. 1. l. 8. l. ff. h. t. l. 11. ff. sol. matr.* ad hunc effectum

fectum, ut conditio usucapiendi in maritum transferatur  
*t. t. ff. pro dot.* quamvis verus dominus non impediatur jus  
 suum perfequi, qui hoc integrum retinet, reique suæ vin-  
 dicationem habet *l. 34. ff. h. t.* nisi bona fide usucapta sit *l.*  
*67. ff. h. t.* quæ res alienæ dotales fiunt non demum in casu  
 consumptionis vel usucapionis, sed per ipsam traditionem  
*l. 6. §. 1. ff. h. t.* res enim dotalis non dicitur ab objecto vel  
 subiecto sed potius a causa & intentione ex qua & propter  
 quam res traditur, non secus atque res vendita & oppigno-  
 rata appellatur, licet sit aliena, *l. 28. ff. de contrah. empr. l. 11.*  
*§. 2. ff. de act. empr.* hinc etiam pro re aliena in dotem data  
 competit rei uxoriæ actio soluto matrimonio *l. 11. ff. solut.*  
*matrim.*

§. 2. De feudo, num & illud in dotem dari possit? non con-  
 stat inter omnes, verissimum est si feudum ipsius mulieris  
 sit, in dotem dari posse marito, manet enim & ipsa uxor  
 etiam constante matrimonio suo modo domina dotis *l. 30.*  
*C. h. t.* potissima hæc est ratio, quod feudum foemineum sit  
 improprium, & cum præcipua utilitas, quam ex suis bonis  
 foeminae habent præcipue in eo consistat, ut possint exinde  
 dotari & propter dotem nubere *l. 2. C. h. t.* hinc feudum foe-  
 minæ concedens videtur in eo quoque permittere faculta-  
 tem constituendi dotem, *Eckholt ad ff. h. t.* etenim vera non  
 est alienatio, nisi forte æstimatio venditionis gratia vel pa-  
 ctum de lucranda dote adjicitur, quo casu domini consensus  
 utique erit necessarius: quod si feudum a tertio detur, da-  
 tio non subsistit, nisi sc. feudi natura id patiatur, & dos  
 aliunde non constitui nec filia sine dote nubere possit, alias  
 enim hæc alienatio majoris videretur præjudicii, cum &  
 uxori jus aliquod in dote quæeratur; quod si feudi natura  
 id non patiatur, in fructibus feudi dos filia constitui po-  
 test, & a tertio quoque fructuum perceptio ex feudo ad  
 mortem usque dotis nomine concedi potest, *Eckholt in ff.*  
*ad h. t. Meyer in C. I. A. ad h. t.*

§. 3. Idem servatur & in emphyteusi, quam pater filia  
 suæ

suæ in dotem dare potest, nec opus erit consensu domini, si filia est de personis, in constitutione hujus juris comprehensis, cum hoc casu dominium rei in præjudicium domini directi non mutetur, qui ab initio cessionis hanc licentiam, ut emphyteusis ad prædictas personas transire possit, dedisse videtur.

§. 4. Datur etiam hereditas *l. 13. §. 10. de pet. her.* non item fideicommissum, quod ab hæredej mulieri debetur delegari ab ea marito potest *l. 59. §. 1. ff. h. t.* non tamen res mariti in dotem dantur *l. 24. ff. de evic.* nec quæ natura non sunt, nec esse possunt, & quæ non sunt in commercio, vel absolute vel secundum quid, qualia sunt flumina publica §. 2. *inst. de rer. div.* res sacræ sanctæ, religiosæ, & si quæ aliæ res publico usui destinatæ sunt §. 7. & *seqq. inst. d. 1.*

§. 5. Hactenus autem enumeratæ res, in dotem dantur sub duplici respectu, vel æstimatæ, vel inæstimatæ. *l. 30. C. h. t.* quæ distinctio non est frustranea, æstimata enim si dos data sit, periculum spectat ad maritum *l. 10. pr. ff. h. t. l. 5. §. 10. C. eod.* sin inæstimata, periculo erit mulieris *d. l.*

§. 6. Æstimatio autem, ut in reliquis conventionibus, fit duobus modis, vel venditionis vel taxationis gratia: venditionis gratia fieri dicitur, quando pretium hunc in finem traditioni adjicitur, ut accipiens rem sibi eo habeat emptam; taxationis autem causa, quando pretium hunc in finem adjicitur, ne si species aliqua diminuta, aut deperdita fuisset, alio pretio, quam quo taxata fuit, reposcatur *l. 5, 10, 21, §. 30. C. h. t.* proprie tamen res dotales sunt, quæ in æstimatæ in dotem dantur *l. uni. §. 2. v. æstimatarum §. 15. v. in fundo C. de rei ux. act.*

§. 7. Quantum quis in dotem dare velit in cujusque est arbitrio, unde & apud Romanos & apud alias gentes modus dotium variavit *Cuj. lib. 11. qq. Pap. ad leg. 29. sol. matr.* quamquam L. Papia modus liberalitati huic fuerit impositus: mille tamen floreni pro dote magna, & re, & nomine  
repu-

reputantur quæ & comiti congruat, in Saxonia, ex feudis antiquis, quantumvis opulentis, ultra mille florenos in dotem vix dari consueviffe refertur.

§. 8. Verum quando filia excluditur ab omnibus bonis paternis, debet & qualitas dotis talis esse, ut respectus habeat ad omnia bona, a quibus excluditur: at species aut quantitas definienda est, incerta enim promissio non valet *l. 1. §. 3. C. de dot. promif.* nisi pater sit, qui promiserit, ut, infra latius dicemus.

§. 9. An mulier universa bona in dotem dare possit quaeritur? & puto esse affirmandum *per l. 4. C. h. t. §. 1. 72. ff. eod.* ita tamen, ut si læsa fuerit, & adhuc minorennis sit, habeat restitutionem in integrum, majorenni vero ex bono & æquo succurratur *l. 1. C. si adv. dot.* quod autem mulier minor supra patrimonium suum promisit auctoritate curatoris dolo interposita, id ipso jure non valet, & infirmatur, quod amplius promissum est, quam promitti oportuit *l. 61. ff. h. t.* quod vero curator absque dolo ultra patrimonium mulieris promiserit ita valet, ut mulier viro promittere cogatur, si locupletior constante matrimonio facta fuerit, reliquum dotis marito se servaturam *l. 43. §. 1. ff. de admin. §. per. tut.* idem dicendum videtur, si mulier ultra vires patrimonii ipsa promiserit absque dolo curatoris auctoritate interposita, neque enim ratio est, cur promissio curatoris plus operetur, quam promissio mulieris curatoris auctoritate facta: quod si re sit circumscripta mulier, dum majores putat vires patrimonii sui, & id in dotem dederit, quo totum ipsius patrimonium absumitur, restitui potest minor *l. 9. §. 1. ff. de min.*

§. 10. Non creditur autem mulier omnia bona in dotem dedisse ex eo, quod ea in domum mariti attulerit, nam præter dotem habet etiam *παροδότης l. 9. §. ult. ff. h. t.* dotis enim causa datum accipere debemus id tantum, quod in dotem datur, id est, de quo, cum daretur, dictum est, quod dotis causa detur *d. l. 9. §. 2. §. ult. ff. h. t.* patre ab hostibus  
capto,



capto, aut à latronibus oppresso, prætor vel præfes decernet, quantum ex bonis patris filiae in dotem sit dandum.  
*l. 5. §. 4. ff. b. t.*

## CAPUT V.

§. 1. **O**peræ pretium erit, ut etiam aliquid dicamus de donationibus ante nuptias: *est autem donatio ante nuptias quæ à parte mariti in uxorem, vel sponsi in sponsam confertur in securitatem dotis, & quasi remuneranda dotis causa*: unde quæ ita donantur, à Græcis *ἀντιφίγα* dicta sunt, hoc est quæ vice mutua pro dote dantur *l. ult. C. de don. ante nupt.* quæ donatio veteribus prudentibus incognita fuit, ut traditur in §. 3. *inst. de donat.* quod intelligendum de tali specie donationis ante nuptias, qualis tempore Justiniani frequentabatur, utpote quæ demum post translationem imperii in Orientem excogitata est, sensimque ita formata, ut vera donatio, & juris gentium esse desierit: factaque sit species donationis improprie, & quæ omnino sit juris civilis.

§. 2. Sciendum enim est, prioribus temporibus donationes sponsalicias, hoc est, quæ à sponso in sponsam conferebantur, vel contra à sponsa in sponsum (nam & hoc aliquando fiebat *l. 1. §. 1. ff. de donat.*) habitas fuisse non tamquam nuptiarum causa, sed perinde ac si puræ atque absolutæ fuissent, eandemque earum fuisse vim, quam habent donationes cæteræ, quæ ex mera liberalitate fiunt, nullo scilicet ut casu ad donatorem reverterentur *l. 8. cum aliquot seqq. C. de don. ante nupt.* postea ex constitutione Constantini hoc jure uti cæperunt, ut donatio omnis inter sponsum & sponsam facta intelligeretur tacitam in se habere conditionem futurarum nuptiarum *l. 15. C. eod.* & optima sane ratione nam donatio sponsi in sponsam merito præsumitur proficisci à singulari affectione qua sponsam ut futuram uxorem complectitur, sine spe nuptiarum haud facile donaturus; successit tandem donatio ante nuptias de qua hic agitur, & quæ  
 supra

supra est definita, quam etiam Justinianus propter nuptias vocari voluit.

§. 3. Hæc fit à solo sponso, & re atque effectu multum à præcedentibus differt, nam primum doti, cujus remuneratio quædam censetur, in hoc similis est, quod quemadmodum uxor soluto matrimonio dotem recipit *l. 2. ff. sol. matr.* ita & vir donationem propter nuptias: deinde nec re vera ex hac donatione dominium rei donatæ transit in uxorem, sed alia jura consequitur veluti jus specialis hypothecæ, nam res donatæ propter nuptias pro securitate dotis mulieri speciatim obligatæ esse intelliguntur *l. 29. C. b. t.* & hic præcipuus hujus donationis finis est, ut dos mulieri sit cautior: unde recte Wefemb. notat res propter nuptias donatas potius hypothecæ subjici videri, quam vere alienari: item hoc, ut viro temere divortium faciente, donatio hæc aut tota aut pro parte lucro uxoris cedat; in quo doti quoque respondet, nam mulier sine justa causa divortens ipsa amissione dotis plectitur *l. 8. §. 4. C. de repud.*

§. 4. Initio hæ donationes ante vel propter nuptias post contractum matrimonium nec inchoari nec augeri poterant; primus Justinus permisit, ut aucta postmodum dote, tunc etiam augeri possit præcedens ante nuptias donatio *l. 19. C. de donat. ante nupt.* & §. 3. *inst. de donat.* Justinianus autem etiam inchoari hujusmodi donationes post nuptias permisit *l. ult. C. eod.*

§. 5. Adhuc donatio arbitraria erat, quamvis dos data esset, & hoc a Justiniano constitutum est *dicta l. ult. v. simplices*; poteratque aut nulla constitui, aut dote minor, majorve etiam, si ante nuptias fieret; nec ulla requirebatur aut in partibus lucri, aut in quantitate, quæ utrimque conferebatur, æqualitas: tandem Justinianus *Nov. 97.* statuit ut non partium solum æqualitas esset, verum etiam quantitatum, atque omnimodo & in pactis stipulationibusque & in ipsa etiam præstatione aut promissione tam dotis quam donationis ante nuptias æqualitas servaretur, utque dote vel donatione propter

pter nuptias aucta vel diminuta, ad parem quantitatem altera vel augetur vel minuetur; ex quo amplius liberum non fuit donare vel non donare aut minus dote donare.

§. 6. Hic autem quæri posset an sponso licuit hodie plus donare quam pro dote accepit? e. gr. aliquis donabat centum & quinquaginta millia florenorum, & triginta millia pro gemmis, & margaritis, & accipiebat in dotem septuaginta millia, dubitatur an donatio hæc propter nuptias & dos valeret, & puto valere, propterea quod hanc constitutionem cum sua exæquatione & donandi necessitate jam pridem repudiavit publicæ consuetudo, per consequens cuique liberum est tantum donare, quantum velit, nam & id quod maritus dat proprie doarium seu dotalitium vocatur, Juvenalis ait:

*Quod prima pro nocte datur.*

Quod etiam mortuo marito uxor percipit & lucratur: verum nostris aliorumque moribus inter conjuges legalis & consuetudinaria omnium bonorum, tam præsentium quam futurorum est communio.

## CAPUT VI.

§. 1. **C**onstituitur dos vel ante vel post nuptias: ante constituta hanc habet conditionem, *si nuptiæ sequantur*; dicitur autem hæc dos dari aut promitti: datur quando revera à muliere, aut alio ejus nomine marito traditur: promittitur vel stipulatione, vel nuda pollicitatione; dos promissa prædictam in se conditionem habet. *l. 21. ff. b. t.* nec prius, nisi secutis nuptiis, ex hac stipulatione agi potest: nuda pollicitatione dos promissa perinde debetur & exigitur ac si stipulationis præsidio suffulta esset. *l. 6. C. de dot. promiss.* ita postulante tum favore dotis, cum alias, ubi quis verbis obligatur, verborum solennitas desideretur, neque pactorum verba sufficiant: tum quod secutis nuptiis ali-

quid

quid sit factum, propter quod dos promissa est, *Zoef. ad ff. h. t.* quamquam hoc pactum non tam nudum quam legitimum sit, & in se contineat causam, quia ideo promittitur dos, ut alter uxorem ducat, ex quo si uxor ducitur, causa, ob quam promissio intercessit, jam impleta est, & consequenter recte eo nomine actio datur marito, cui dos promissa est, non uxori. *Perez. in C. ad tit. de dot. promif. etiam contra successores promittentis. l. 5. C. de dot. promif.*

§. 2 Interdum ex pacto tacito actionem movet maritus, cum ex voluntate donantis in dotali instrumento plura sibi tradita scripsit, quam revera accepit, & si excipiatur, quod confessus jam sit se ea recepisse, aget nihilominus pro iis, quæ defunt, ex tacito pacto *l. 4. C. de dot. promif.* quo etiam aget ad sortem & ad id quod deberi ostenderit nomine usurarum promissarum *l. 2. C. d. t.* nam rei in dotem promissæ & intra biennium non solutæ, deinceps debentur usuræ. *l. ult. §. 2. in fin. C. h. t.*

§. 3. Hic autem quæri possit, an dos promissa sine certa quantitate peti possit? & communiter receptum est dotis promissionem subsistere, & ad emolumentum ejus agi posse, dummodo promissio in alicujus arbitrium sit relata *l. 3. C. de dot. promif.* quia tum non est incerta dotis promissio: bonus enim ille vir sine dubio arbitrabitur, dotem pro modo facultatum promissoris, & mariti dignitate constituendam esse *l. 60. & 69. §. 4. ff. h. t.* si vero absque arbitrii mentione dotis promissio sit facta, major difficultas est an valeat; cum *Papinianus* aperte dicit: *dotis stipulationem valere, non demonstrata re, vel quantitate d. l. 69. §. 4.* & imperator *Alexander* è contrario docet actionem ex dotis promissione non competere, *si neque ulla species neque quantitas sit promissa l. 1. C. de dot. promif.* verum facilis harum pugnantium legum est reconciliatio; distinguendo num à patre, aut ab extraneo facta sit promissio: si à patre nihil obstat incertitudo, eo quod pater teneatur filiam dotare, qui dotem promittens, videtur

promittere secundum vires sui patrimonii, & dignitatem generi; unde promissio ex jure & legibus certitudinem accipit: nullus autem est legibus præfinitus modus dotis, *Fachin. lib. 8. Controver. cap. 75.* si vero ab uxore aut extraneo promissa fuerit indefinita quantitate, nihil agitur, quia quantum promiserit non appareret: ideoque verius est peti non posse propter incertitudinem quæ vitiat, ratio est, quod mulier ad dotem non teneatur, cum & indotata possit nubere, & præstando rem modo vilissimam liberetur, quæ ratio & in extraneo obtinet *Zoes. ad ff. h. t. Perez. in C. de dot. promiss.*

## CAPUT VII.

§. 1. **E**ffectus dotis alii concernunt ipsius dotis obligationem, alii ipsius constitutionem; prioris generis est quod quilibet qui dotem promisit, marito efficaciter teneatur *l. fin. C. ad S. C. Vellej.* si modo nuptiæ fuerint secutæ *l. 10. §. 4. ff. h. t.*

§. 2. Quod ex promissione dotis marito detur actio, & quidem si stipulatio intercesserit, actio ex stipulatu: si vero pactum aut pollicitatio, condictio ex pacto legitimo. *arg. l. 4. & 6. C. de dot. promiss.* leges enim huic pacto, quod alias sine effectu futurum erat, hanc vim dederunt, ut actionem pariat; at dotis pactum liberatorium, quo maritum debitorem liberat mulier, legitimum non est, quoniam id legum peculiari auxilio opus non habuit, ad consequendum effectum, quem ex jure communi consequi potuit, marito per exceptionem tuto constituto *l. 2. ff. h. t.* nunc vero, quia *ex l. unic. §. 1. C. de rei uxor. act.* stipulatio dotibus legis auctoritate inesse fingitur, indistincte actio ex stipulatu, quocunque modo res promissa sit, datur marito in *l. 2. C. de dot. promiss.* ad petendam dotem sibi promissam; uxori ad petendam donationem propter nuptias, pari enim jure censentur, tametsi paritas facti sit sublata *Nov. 97. patri*

patri quoque uxoris vel mariti, ut dotem promissam exigat constante matrimonio, etiamsi non ei, sed uxori aut alii tempore sponsaliorum promissa fuit: heredibus *l. unic.*

§ 4. *C. de rei uxor. act.*

§ 3. Adversus cum, qui dotem vel donationem propter nuptias promisit, sive sit uxor, maritus, vel parentes eorum, aut extraneus, sci. cum de dote solvendâ constante matrimonio tractatur: hanc autem actionem *Wesemb. h. t. n. 6.* minus recte dicit esse bonæ fidei, cum nusquam hoc de dote promissâ exigendâ sit excepta, *Et d. l. unic.* loquitur de illâ, quæ succedit in locum actionis rei de dote repetendâ, soluto sci. matrimonio.

§ 4. Quod marito quoque competat actio hypothecaria adversus illum qui dotem promisit ex jure tacitæ hypothecæ *d. l. unic. §. 1.*

§ 5. Posterioris generis seu dotis constitutæ effectus est, quod maritus legis auctoritate fiat rerum dotalium dominus, & quidem verus, quoad effectum vindicandi, & jus possidendi, utendi fruendi, sed non nisi revocabiliter. *l. 9. C. de rei vindic. l. 24. ff. de act. rer. amot.* mulier vero constante matrimonio est domina dotis: nec tamen ista duo pugnant; non enim est ejusdem ac eadem consideratio, quod tamen in omni contradictione verâ est necessarium; duobus quippe modis res abire à priore domino ad novum dominum potest, vel civiliter vel naturaliter, id est vel ex causis civilibus sive jure civili, vel ex causis naturalibus sive jure naturali: facilis itaque est reconciliatio, mulier manet dotis domina jure naturali, maritus jure civili: maritus etiam & rei vindicationem, & conditionem furtivam dotalis rei nomine habet, *l. 9. C. de rei vind. l. 24. ff. de act. rer. amot.* item actionem furti, *l. 49. §. 1. ff. de furt. l. 18. §. 1. in fin. ff. solut. matr.* etiam habet actionem injuriæ *d. l. 18. §. 1.*

§ 6. Maritus etiam in rebus dotalibus dolum & culpam latam ac levem præstat. *l. 17. ff. h. t. l. 18. ff. sol. matr.* quod ex mente *Hahn. in notis h. t. n. 9.* tantum in rebus inæstimatis &

non fungibilibus procedit, per *l. 24. ff. h. t.* quandoque tamen culpa lata solum præstatur, ut in casu *l. 9. ff. solut. matr.*

§. 7. Si maritus ex causâ primipili quid debeat fisco, bona dotalia etiam obligata sunt *l. 3. C. de primip.* rerum fungibilium in dotem datarum periculum est mariti *l. 10. §. 42. ff. h. t.* rerum vero non fungibilium & mobilium, uxoris *d. l. 10.* & quidem, si res æstimatæ in dotem fuerint datæ, nuptiis secutis, plenissimo jure maritus dominium habet rerum, quas dotis causâ accepit *l. unic. §. 15. C. de rei uxor. act.* maritus enim fit emtor æstimatione illâ, quæ vera est venditio, non simplex quidem, sed dotis causâ, *d. l. unic. §. 9. v. æstimatarum l. 10. §. 4. §. 5. l. 56. ff. h. t.* quia hac ratione & maritus non simpliciter sed pro dote possidere dicitur *arg. l. ult. v. oportebat C. qui potior in pign. l. 15. §. 3. ff. qui satisf. cog.* & mulieri sola æstimatio deberetur *l. 5. l. 10. C. d. t.* etiamsi res æstimata, quæ ex pacto venire debebat, sine culpa viri non venierit *l. 12. §. ult. cum l. seq. ff. de pact. dor.* poteritque vir pro arbitrio suo res in dotem acceptas alienare, hoc enim casu dotales non sunt, recte igitur alienantur *l. 61. §. 1. v. at quin. ff. h. t. l. 12. §. 3. §. ult. ff. de pact. dotal. l. 11. ff. de fund. dor.* pender hæc æstimatio & venditio, quamdiu nuptiæ non sequuntur *l. 10. §. 4. §. 5. ff. h. t.* ideoque ante nuptias harum rerum dominium in maritum non transit, & nuptiis non secutis, ipsæ res repetuntur, non æstimatio *l. 17. §. 1. ff. h. t.*

§. 8. Rebus vero inæstimatis in dotem datis, quæ propriæ dotales sunt, maritus quidem fit dominus etiam ante nuptias, nisi aliud actum fuerit *l. 7. §. ult. ff. h. t.* sed non est plenissimo jure dominus: quod sicut ipsum dominium dotis, ita & fructus ad maritum pertinent durante matrimonio, & quidem in rebus æstimatis omnis omnino accessio *l. 10. C. h. t.* in rebus verò inæstimatis, ea tantum, quæ in fructu sunt, non aliæ accessiones *l. 10. §. 1. §. seq. ff. eod. l. 69. §. fin. ff. eod.*

§. 9. Ratione mulieris effectus est quod soluto matrimonio

nio

nio mulier, aut ejus heredes per ex stipulatu actionem dotem à marito repetere possint *t. t. C. de rei uxor. act.* & quod ratione dotis præferatur creditoribus etiam anteriorem hypothecam habentibus *l. 12. C. qui potior. impign.*

## CAPUT VIII.

§. 1. **U**Ltimo videamus quomodo dos soluto matrimonio repetatur. Antiquitus duæ erant hac de re prodiæ actiones, una *rei uxoria*, altera *ex stipulatu* dicebatur: jure novo vero abolitâ & transmutata rei uxoriæ actione sola actio ex stipulatu superest, §. 29. *inst. de act. l. unic. C. de rei uxor. act.* utpote quæ plenior est illa *d. §. 29.* dum quædam præcipua & commoda singularia habet, quæ recenset *Vinn. ad d. §. n. 2.* describi potest hæc actio, quod sit *personalis, civilis, rei persecutoria, bonæ fidei, privilegiata quæ datur, soluto matrimonio, uxori ejusque heredibus, adversus maritum ejusque heredes ad dotem salvam ac integram restituendam.*

§. 2. Datur hæc actio aliquando mulieri, vel ejus heredi, si ad mulierem dos reverti debeat *l. ult. C. h. t.* aliquando patri, si sibi reddi stipulatus sit eam, quæ ab eo est profecta, siue non. Imo & extraneo, sed non aliter, quam si stipulatus sit eam sibi restitui *l. unic. §. 13. C. de rei uxor. act.* datur contra maritum ejusque heredem, siue dos in scriptis, siue sine scriptis sit data, promissa, recepta: finis actionis eo tendit, ut dos una cum fructibus restituatur pro portione anni, quo matrimonium solutum est *l. 7. pr. §. 1. ff. solut. matr.* deinde ut damnum, quod dolo aut culpâ mariti in rebus dotalibus accidit, refarciatur. *l. pen. pr. §. ult. ff. solut. matr.*

§. 3. Singularia in hac actione sunt, quod ex stipulatu agi possit, licet stipulatio non intervenerit. 2. Quod pro dote detur, sine conventionem, hypotheca. *l. unic. §. 1. C. de rei uxor. act.* 3. Quod hæc actio sit bonæ fidei, §. 29. *inst. de act.*



*de act.* 4. Quod mulier vel ejus filii *d. §. 29. l. 12. §. 1. C. qui pot. in pign.* non alii heredes, præferantur omnibus creditoribus mariti, sive expressam, sive tacitam creditores alii habeant hypothecam.

§. 4. Cessat hæc actio variis de causis. 1. Ex pacto, *l. 12. ff. de pact. dot.* 2. Si maritus non sit solvendo, nam non tenetur, ultra quam facere potest *l. 12. & seqq. ff. solut. matr.* 3. Si res perierit sine culpâ mariti *l. 49. §. 1. ff. d. t.* 4. Si maritus non acceperit dotem, & per eum non stet, quo minus accipiat *l. 52. ff. d. t.* 5. Si propter delictum uxoris publicentur bona *arg. l. 24. & 25. ff. d. t.*

---

## COROLLARIA.

I.

*Venditor tenetur præcise rem tradere.*

II.

*Contractus in testamento celebrari nequit.*

III.

*Periculum rei venditæ spectat ad emptorem.*

IV.

*Bonæ fidei possessor etiam naturales fructus lucratur.*

V.

*Datio tutelæ non est ordinaria jurisdictionis.*

VI.

*Actio familiæ eriscundæ post 30 annos institui potest.*

F I N I S.